BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
35
3 I
7
20

VITT. EMANUELE

M

Digitized by Google

35.3.I.7 I.1. 20

APOLOGIA

PANEGYREOS

JANSENIANÆ,

AD

Theologum Lovanienſem;

UBI

Janſeniani *Facti* aſſertionem *Formulario* ineluctabiliter contineri oſtenditur; ejusdem *Formularii* exactores ſubſcriptoresque non unius criminis peraguntur rei; ac lugubres has controverſias tandem aliquando finiendi neceſſitas denuo & via panditur.

Juſtificationem, quam cœpi tenere, non deſeram. Job. 27.

GRATIANOPOLI M. D. C. XCIC.

Alii ab Eccleſiarum thronis injuſte pellebantur; alii in eorum locum ſubrogabantur; &c. Ea res permultos e nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit: qui quamvis mente haudquaquam prolapſi fuerint, ſubſcriptione tamen transverſi acti ſunt.

S. Greg. Nazianz. Orat. 21. in laudem Athanaſii.

AMICORUM COLENDISSME

SCitè, ut ſolet, dixit Mellifluus Doctor: *"Amor, „ſicut nec odium, judicium veritatis neſcit. Vis „judicium veritatis? Sicut audio, ſic judico; non „ſicut odi, non ſicut amo, non ſicut timeo. Eſt „judicium odii: *Nos legem habemus, & ſecundum* „*legem noſtram debet mori.* Eſt & timoris: ut illud: „*Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tol-* „*lent noſtrum regnum, & gentem.* Vis judicium amoris? *Parcite fi-* „*lio meo Abſalon.*"

** Berni. de grad. humil. c. 4.*

Si Viri illi Ornatiſſimi apud vos ſine velamine affectuum, atque ad ſolam vocem veritatis auribus internis attenti, conſideraſſent JANSENIANAM PANEGYRIM, de ejusdem nervis & momento fortaſſe æquius ac ſanius judicaſſent. At cum ex præconceptis affectibus cenſura ſtringitur; cum non usque adeo veritas pure inveſtigatur, quam ſententia adamata & commoda deſideratur ut veritas ſit; cum magis exemplis atque auctoritati clarorum ſed fallibilium Virorum quam rationi ac certiſſimis Theologiæ documentis attenditur; cum potius horribili illo moris humani flumine provectamur, quam ad lucernam Verbi divini regio Chriſtianæ ſimplicitatis ac fortitudinis calle gradimur; cum plus terror temporalium poteſtatum, & eventus noſtris præſagiis aggravati cogitationem feriunt, quam ſupernæ providentiæ humiliter conſignata fides animum placide ac piè regit; (non quæ ſunt facta impropero, ſed quæ timenda ſunt pando) tum vero nihil miri tot nebulis involutam mentem a *judicio veritatis* recedere, ac derelictis rectè cenſendi atque arbitrandi regulis, in ſententiam iniquæ aſpernationis aut temerariæ damnationis labi. Vix equidem

 ſcio

ſcio an hactenus illuſtriori experimento didicerim quantum roboris etiam apud bonos habeat præoccupata & infixa malis præjudiciis in cerebro opinatio.

Quid enim apertius, clarius, ac luculentius, quam (ut in *Panegyri* demonſtratum eſt) Alexandri VII. Conſtitutionem nullo prorſus pacto fuiſſe conditam ut famoſas illas quinque Propoſitiones configeret: quæ accinente utraque diſceptantium parte prorſus in rejectatarum catalogum detruſæ erant; ſed ut easdem *in Janſenio reperiri*, & *ex libro ejus excerptas* eſſe, & *in ſenſu ab eodem intento damnatas*, delectis plane aheneis & nullius mitigationis capacibus terminis ineluctabiliter definiret? Formularium, (uti vel ex ipſis verbis liquet) Alexandrinæ Conſtitutionis compendium & velut executionem in ſe complectitur; nec revera alio ſcopo excogitatum, tantoque ambitu interpoſitis etiam precibus Regis Chriſtianiſſimi a Sede Apoſtolica poſtulatum, ac deinceps promotum invectumque fuit, quam ut Auguſtini diſcipuli ac defenſores, vafra illa Janſeniani *facti* cum Propoſitionibus condemnatis commixtione, in hæreſeos ſuſpicionem ab æmulis ducerentur.

Scopus Domini de Marca Epiſcopi Tholoſani & *Patris Annati* Confeſſarii Regii (hi quippe primi Formularium excogitarunt, & ruditer adumbrarunt) *iſte erat*, inquit * Apologiſta portus Regalis, *ut adinvenirent technam aliquam, qua perſonis quibusdam labem hæreſeos affricarent: quod quidem non meliori ratione effectum dare ſperabant, quam ſi Profeſſionem quandam fidei, ab Eccleſia propoſitam, compellerentur abnuere. At cum præſentiſcerent conatus illos irritos fore, niſi quæſtioni fidei quid aliud miſceretur; callidè aſſertionem facti Janſeniani intexuerunt proponendæ Formulæ: ut hoc artificio ab ea ſubſcribenda arcerentur, adeoque hæreticæ pravitatis ignominia adſpergi poſſent. Hæc formularii myſterioſa ſeu arcana induſtria. Nequaquam conceptum fuit, ut veros hæreticos proderet, ſed ut optimos Catholicos hæreſeos falſo inſimularet.*

* *Parte* 3. *in præfat.*

Quare & ibidem conqueritur dictus auctor, primos illos Formularii architectos aſtu ſuo imitatos Julianum Auguſtum, qui ut Chriſtianos, quos oderat, non ferocia ſed aſtutia perderet, artificium ab iſto haud ita diſſimile commentus fuerat. In more poſitum erat apud Romanos, ut non ſolum Imperatores, ſed & ſtatuæ ipſorum externâ cujusdam venerationis ac velut adorationis ſpecie colerentur. * *Quid autem ille comminiſcitur*, inquit S. Gregorius, *ut firmioribus*

* *Gregorius Nazianz. Or.* 3.

Chri-

Chriſtianis fraudem nectat? Nimirum, quemadmodum illi qui cibis toxicum miſcent, ita hic ſolennibus atque uſitatis Imperatorum honoribus impietatem admiſcere conſtituit, rituſque Romanorum cum idolorum adoratione copulare. Proinde cum dæmones imaginibus adjunxiſſet, tum demum populis imagines illas proponebat, ut nulla omnino ratione malum vitari poſſet; verum aut cum Imperatorum honore dæmonum honor conjungeretur, aut horum fuga Imperatores contumeliâ afficeret. Hoc eſt, ſtatuis ſuis idola addidit, ut vel oblatus honor dæmonibus videretur impendi, vel negatus dignitati Imperatoriæ recuſari. Subdit Gregorius, *paucos admodum, pietate inſignes, hanc fraudem & ſubdole excogitatum impietatis laqueum effugiſſe; ſed etiam mox ſanctæ ſolertiæ ſuæ dediſſe pœnas, caſtigatos quidem ſpecie recuſati erga Imperatorem honoris, ſed revera pro ſua erga regum Regem & dominantium Dominum pietate.* Tametſi prorſus iniquum foret hanc deteſtandam intentionem iis, qui deinceps jusjurandum Formularii exegerunt, immiti deciſione allinere; credendumque ſit pleroſque vel ignorantia, vel altiorum poteſtatum aſſentatione, aut humano quodam terrore potius quam verſuta iſta malitia in mandati iſtius luctuoſiſſimi publicationem raptos; liquet tamen, quis genuinus condendi Formularii ſcopus fuerit, adeoque & quis ſtructuræ ejus ex ipſa primorum fabricatorum collineatione germanus ac legitimus ſenſus ſit. Nimirum nequaquam excogitatum aut invectum fuit ut Propoſitionibus jam ſatis proſcriptis ac contritis ſtigma fieret; ſed ut malitioſâ *facti* cum propoſitionibus permiſtione, doctrinæ Auguſtinianæ (à Janſenio liquidiſſima oratione expreſſæ) jugulum peteretur, & Moliniana Phalanx per calcatos divinæ gratiæ defenſores de profligata Eccleſiæ doctrina, quæ quidem totius Chriſtianæ Religionis medulla ac baſis eſt, triumphum duceret. Hoc ipſum quoque ſola Formularii textura hominibus non mire præventis (ut abunde quidem evicimus, ſed & in ſequentibus adhuc uberius evicturi ſumus) meridianæ lucis fulgore inſinuat Cum ergo Brevia Pontificia (de quibus jam quæſtio) Alexandrinæ Conſtitutionis firmitatem, & Formularii exactionem ſine ulla reſtrictione atque in ipſo ſenſu obvio Formularii peragendam diſertè mandent; nulla jurantibus illis, qui de Janſenii innocentia vel perſuaſi ſunt vel animi pendent, rima evaſionis eſt reliqua, ut Formulario ſine reſtrictione ſubſcribentes à perjurii crimine ſeſe eximant. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*; & *Deus non irridetur.*

 Ve-

Verum audio argumentorum moles adverſum me à veſtris accumulari, ac multis de cauſis declaratam in Panegyri ſententiam contemni, ac proteri. Intelligo imprimis jactari auctoritatem viri Clariſſimi A. A. qui conſpecto Brevi priori (nam ſecundo necdum emanato ad meliorem vitam vocatus fuit) propter verba illa : *quæ ad Orthodoxæ fidei integritatem conducunt*, vel aliis fortaſſe etiam rationibus, jurationem Formularii licitam prædicaſſe fertur. Quanti virum illum, ut debui, ſemper fecerim, te non latet; non tamen (ut quod ſentio edicam) ita ſerviliter ut propter vel illius vel cujuſcunque auctoritatem à perſpicuæ rationis tramite (ſi hanc mihi mentem gratia divina cuſtodiat) ullatenus ſim diſceſſurus. Præpoſtera eſt omnis auctoritas iis in quæſtionibus, quas è manifeſtiſſimis, conſtantiſſimis, & invictiſſimis Theologiæ principiis erui ac decidi compellit veritas.

At jam quoque fortiter & uberrime demonſtrandum eſt, me à memorati illius viri documentis, prout ea olim in vigore ætatis vegeto animo judicioque conſcripſit, non recedere ad latum unguem. Vis præcipua Panegyreos, circa iſtam Formularii controverſiam, huic argumento incumbit, quod ſenſus, poteſtas, aut ſignificatio verborum non dependeat à contortis conceptibus quorundam particularium, ſed a recepto uſu loquendi, & ideas verbis communi conſenſu aut probata conſuetudine alligandi; adeoque cum Formularii textus *factum* Janſenianum juxta receptum totius humanæ ſocietatis aſſenſione idioma ineluctabiliter & clare aſſerat, eidem cum jurejurando ſubſcribentes, ab aperto pejurio nulla valeant ratione purgari. Diſpice ergo an temere glorier me cum viro Clariſſimo hac in re adamuſſim concinere. Parte quarta Apologiæ portus regalis capite quarto accurate oſtendit, *verborum ſignificationem per ſe quidem arbitrariam eſſe, at uſu publico & conſenſu populorum figi; fixam verò non poſſe convelli pro cujuſque arbitratu; ſed oportere nos in locutione noſtra ſequi conſenſum populi, vel, ut ea Auguſtinus nuncupat*, PACTA SOCIETATIS HUMANÆ. *Adeoque* (pergit) *verba hac*: PROBO LIBRUM SCRIPTORIS ISTIUS *ante conſenſum illum determnari poteram ut ſignificarent averſationem iſtius libri; & contra hac*: DETESTOR LIBRUM ISTIUS SCRIPTORIS, *ita figi ut libri iſtius laudem auditoribus ingenerarent. Verum qui ſtante ſermonis commercio, quod jam ſocietatis humanæ conſenſu obtinet, priora verba uſurparet ad libri deteſtationem, & ſecunda ad laudem, nihil præfatus ſe riſus & joci*

cau-

cauſa verborum ſignificationes pervertere, proculdubio adſtantibus diverſas plane ab iis, quas in mente habet, cogitationes inderet: quod uſu locutionis recepto vocamus mentiri & fallere. Perlege, ſi lubet, ſequentia: nam fuſo valde eloquio denarrantur; & comperies non tam lac lacti ſimile quam *Panegyrim*, & ea quæ hoc toto capite ſolerter & perſpicue diſſerit. Adi etiam caput undecimum partis ſecundæ, ubi ſtabilitum invenies, *Eccleſiæ loquendum eſſe cum omni ſinceritate; & graviſſima noxæ reum, qui eam mendacio vel diſſimulatione ludificatur. Hinc ſequi, illum qui de re aliqua dubitat, non poſſe eidem aſſerere quod non dubitet; aut qui aliquid non credit, affirmare quod credat. Porro eum, qui Formulario ſine reſtrictione ſubſcribit, hoc ipſo vel expreſſe vel per æquivocationem declarare, quod de veritate facti Janſeniani perſuaſus ſit; adeoque ſi de illa dubitet, illæſa conſcientia non poſſe ſubſcribere.*

Hinc & idem celebratus auctor * capite 14. libelli, quod *Spectrum Janſenianum* inſcripſit, *laudabili eum conſtantia exornatum* prædicat, *qui Formulario ſine ulla diſtinctione ſubſcribere renuit. Poſtulat enim*, inquit, *Chriſtiani nominis generoſitas, ut potius quidvis, etiam ipſam ab Eccleſia Sacramentis præciſionem perpetiaris, quam Deum offendas. Porro quis ita ignarus ut neſciat incurri offenſionem Dei, dum quis Eccleſiam mendacio fallit, conteſtans ſubſcriptione ſuâ jurejurando firmatâ, ſeſe de facto, de quo revera dubitat, non ambigere.*

* Pag. 146.

Adhæc ſexto Scripto Apologetico (*Memoires* gallicè nuncupant) in cauſa quatuor Epiſcoporum luci dato (quod vel ipſum quoque auctorem vel ſaltem approbatorem habuit) recitatis Formularii verbis expreſſe ſubditur: *„hæc verba diſertam facti affirmationem con„tinent, quod non tantum dicatur: *damno quinque propoſitiones ex „libro Cornelii Janſenii excerptas*, ſed & addatur *in ſenſu ab eodem „auctore intento*; & damnatio iſta jurejurando firmetur, *ita me Deus „adjuvet*. Qui ergo exiſtimant ſe verba illa citra mendacium ac per„jurium pronuntiare ac ſubſignare poſſe, tametſi credant Janſenium „quinque propoſitiones in ſenſu damnato non docuiſſe, & nullos „damnatos errores in ejus volumine comprehendi; omnem verbo„rum, ſubſignationum, & juramentorum ſinceritatem funditus de„ſtruunt". Et iterum. "*Si itaque Ipreníis præſul quinque propoſitiones „non docuit, quiſquis condamnationi ejus ſubſcribit, nomen Epi„ſcopi, a vitæ probitate commendati, in materia graviſſima dehone„ſtat;

* *Recueil des pieces touchant les 4. Eveſques* pag. 259.

* *Ibid.* pag. 296.

„ſtat; librum inſignem, orthodoxis dogmatibus continenti erudi„tione refertum, ac difficillimas Theologiæ maximeque neceſſarias „ſcitu quæſtiones præclare elucidantem, contumelia afficit; injuſti„tiæ aſſentitur, falſum teſtimonium loquitur, & innocentem da„mnat. Et alibi." * Neque illi tantum, qui de *facto* exerte dubitant, „perjurio illaqueantur, ſed & omnes qui illius plena certitudine „diſtituti ſunt: quia non licet jurejurando aſſerere niſi res planè cer„tiſſimas. E quo & colligi poteſt, eos, qui non pervoluto Janſenii „Opere damnationi ejus ſubſcribunt, prorſus eſſe inexcuſabiles. Cum „enim Opere non perlecto aſſeverent adjunctâ juratione errores „quinque famoſarum propoſitionum in illo contineri, aperta teme„ritas eorum & perjurii facinus in oculos irruit. Nec eſt quo ela„bantur: quia non tantum nullam *facti* illius certitudinem poſſident, „ſed prorſus eſt impoſſibile ut eam poſſideant iſta, quam ineunt, „via. Cum enim & Pontifex & Epiſcopi certiſſime in *facto* illo aſſe„rendo fallibiles ſint, ſola auctoritas ipſorum nemini certitudinem „illam impartiri poteſt, adeoque nec ſufficere ut *factum* iſtud appo„ſita juratione firmetur". Arbitror rationem argumenti illius cuilibet attentiori conſpicuam eſſe; quia ſi ſola auctoritas illa externa quempiam obligare poſſet ad factum illud cum juramento aſſeverandum, cum in ejuſmodi factis aſſerendis Præpoſiti Eccleſiaſtici falſitati obnoxii eſſe poſſint, jam inde hoc conſequens flueret, quod quiſpiam obligari poſſet ad rem falſam aſſeverandam addito juramento: quod quam ſit abſurdum, nihil opus eſt pluribus commonſtrare. Quare & idem Scriptor dolori ſuo habenas laxans: „* ſanguineis, „inquit, lacrymis deploranda res eſt, cum tot homines tam gravi „ſcandalo, manifeſtiſſimoque periculo indies expoſitos videamus; „meritoque exclamamus cum magno Auguſtino: * *O ubi eſtis fontes „lacrymarum? & quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus „ab ira veritatis, ſi non ſolum negligimus cavere mendacia, ſed aude„mus inſuper docere perjuria?*

** Lettre d'un Docteur ſur le ſerment contenu dans le Formulaire. Ibid pag. 54.*

** Ibid pag. 59.*

** contra mendac. c. 18.*

„Ac tanto quidem gravius eſt iſtud ſcandalum, quod ſeſe palliet „obedientia erga Pontificem & Epiſcopos qui juratam ſubſcriptio„nem illam mandatis urgentibus imperant. Adducitur præterea ex„emplum Eccleſiaſticorum virorum, quos eruditio ac vita celebrat, „Formulario ſimpliciter ſubſcribentium. Nec enim videtur ſubſcri„ptio illa vel ita mandari, vel ita recipi poſſe, ſi non vacaret a magno „illo perjurii crimine; imo ſi non omne vel minimum illius commit-

ten-

„tendi careret periculo. Hac excuſatione obnubilati plures ad ſub-„ſcribendum proſiliunt; quæ tamen illos à flagitio teterrimo non dat „innocuos. Nam ut recte Auguſtinus ait: * *In omnibus actibus noſtris* „*maxime etiam bonos turbant compenſativa peccata* (hoc eſt quæ „compenſari videntur & a malitia liberari intuitu bono è quo ducunt „originem) *ita ut nec peccata exiſtimentur ſi habeant tales cauſas pro-*„*pter quas fiant, & in quibus videatur peccari potius ſi non fiant.* „Quid, inquient, an non juſtiſſima ac legitima ſubſcribendi ratio „eſt: cum per ſubſcriptionem obedientia exhibeatur Pontifici & E-„piſcopo, ac per negatam obedientia debita recuſetur? Ita fit ut „non tantum ab omni noxa immunis prædicetur ſubſcriptio, ſed il-„lius detrectatio inobedientiæ damnabilis notetur convitio. At iſti „inſigni ſe errore decipiunt: nam, ut idem Sanctus ait: *Quæ conſtat* „*eſſe peccata, nullo bona cauſa obtentu, nullo quaſi bono fine, nulla* „*velut bona intentione facienda ſunt.* Nec itaque mendacium a delicto „eximitur, nec perjurium a flagitio vacat, quantiſcumque quis bonis in-„tentionibus ſe in illa præcipitet. Si ergo perjurium ſubſcriptioni inne-„ctitur, quod innecti demonſtravimus apud illos omnes, qui certiſſima „*facti* cognitione deſtituuntur; neque ſubmiſſio Pontifici & Epiſcopo „præſtita, neque exemplum quorumcumque & quantovis numero præeuntium, neque bona omnia, quæ hac ſubſcriptione videntur procuranda, efficere poſſunt, ut Deum non vocent in teſtem illius rei „de qua perſuaſi non ſunt certiſſimis documentis; adeoque ut à per-„jurii crimine ſeſe protegant. Quapropter non niſi falſæ humilitatis „imaginem tenent, & veræ flagitioſæ timiditati obnoxii ſunt, qui „Epiſcopis Formularii ſubſcriptionem ſine diſtinctione aut explica-„tione rogantibus, internum animi ſui ſenſum aperire ac propone-„re metuunt. Nec enim aut Epiſcopi aut Pontifex diſpenſationes „impartiri poſſunt ad mendacia aut perjuria perpetranda; neque ita „inferiorum peccata in ſe recipere ut illos coram Deo a crimine li-„berent. O cæcitatem & miſeriam hominum! Non timetur ubi ti-„menda ſunt omnia: videlicet mendacii, falſi teſtimonii, perjurii „facinus; & trepidatur, ubi nullus eſt trepidationi locus. Quid „enim ſolidi reſpondebit Epiſcopus ſignificantibus ſe *facti* illius cer-„titudine deſtitutos eſſe, adeoque ſine perjurio non poſſe in teſtem „vocare Deum, quod *Propoſitiones in ſenſu a Janſenio intento reji-*„*ciant*? Non patitur certè Epiſcopi pietas, ut ita in animo compa-„ratis nihilominus jurare mandet: hoc enim foret mandare perjuria.

* *Contra mendac. c.* 10.

„Igitur tenetur Præſul, aut inſtrumento publico declarare quod ſub-„ſcribentes ad *facti* fidem & aſſertionem non obliget; aut pati ut „ſubſcribentes teſtificentur ſe fidem illam & aſſeverationem excipe-„re; aut aſſignare documentum evidentis certitudinis qua ſubſcri-„ptionem illam cum jurejurando licite exigere, & ſubditos ſuos ad il-„lam obligare poſſit.

„Porro quod documentum iſtius certitudinis in lucem proferet? „an auctoritatem Pontificis in factis doctrinalibus falli neſciam? Er-„ror hic eſt non tantum ab Eccleſia Gallicana ſed ab omnibus paſſim „Theologis reprobatus. An forte auctoritatem univerſalis Eccleſiæ „infallibilem prædicabit in hiſce factis? Et iſte ſimiliter error repu-„diatus fuit ab omnibus Theologiæ magiſtris qui ante annos decem „quidquam de his rebus memoriæ prodiderunt. Præterquam quod „urgeri nequeat, factum illud ab univerſa Eccleſia aſſeri: cum evi-„dens ſit pleroſque Epiſcopos, qui Conſtitutiones Pontificias acce-„ptarunt, numquam examinaſſe librum Janſenii ut factum iſtud per „ſe teſtari poſſint; pluresque pietate ac ſcientia clari idem & teſtari „refugiant, & alios ad teſtandum arctare renuant; nec aliud poſtu-„lent quam ſubmiſſionem obſervantiæ, reverentiæ, & diſciplinæ". Hæc paulo luculentius producere viſum fuit, quod non modò quæ circa *Panegyrim* in quæſtionem vocata ſunt, ſimpliciter ac nude definiant, ſed argumentis nervoſe confirment; objecta diluant; & omnem communibus ac tritis illis evaſionibus viam claudant. Ut ergo hunc jam ſatis elucidatum abſolvam articulum; nonne & vir ille egregius, de cujus ſententia laboramus, in * TESTAMENTO ſuo SPIRITUALI, cor ſuum coram divina Majeſtate effundens, ait: *Si numquam in animum inducere potui, ut Formulario ſincerè ſubſcriberem, id eo contigit quod crederem me id facinoris ſine mendacio ac perjurio non poſſe committere. Oportuiſſet quippe me jurejurando aſſerere quaſdam propoſitiones libro aliquo comprehendi, tametſi mihi adſint rationes quibus credam illas in eodem non reperiri : utpote qui libro accurate perlecto non tantum illas non offenderim, ſed contra repererim è diametro repugnantes.* Vides ergo auctoritatem viri, qui nobis opponitur, manifeſtis documentis ejus, (quorum præcipua in flore ætatis, hoc eſt, inter juventutem & ſenectam mediæ evulgavit) ſolide & conſtanter eliſam. Quid dicam igitur de poſtremis ejuſdem viri conſiliis, ſaltem ſi tam certa ac firma ſint quam vagus quidam rumor ſecreta propagatione diſſeminat? Nimirum ſicut juvenilis pruden-

*pag. 146.

tia,

tia, ob bullientem in venis ſanguinem, facile in temeritatem & audaciam ſeſe effert; ita ſenilis, ſanguine jam lentius fluente, naturaliter in timiditatem cadit.

Intelligo & non deeſſe, qui ſe hoc umbone muniant ac tutos putent, quòd per inſtructiones D. Hennebellii (qui in hac re apud S. Sedem procuratoris ſeu legati officio fungitur) conſtare dicant, non clam Romanis eſſe, quod veſtri *Brevia* Pontificia hac dumtaxat interpretatione ſuſcipiant, ut factum in illis non amplius urgeri credant. E quo conſequenter deducunt, cum nihil a Superioribus contradicatur notæ interpretationi iſti, licere ſibi placidâ conſcientiâ Formularium ad iſtum Brevium Pontificiorum ſenſum jurejurando aſſeverare. Verum id ita ſe habere, quibus certis, legitimis, & fide publica dignis oſtenditur monumentis? Quid ſcitur an ea dumtaxat quorumdam in Urbe Cardinalium ſententia ſit, non vero omnium quibus hujus controverſiæ deciſio demandata fuit, ac multo minus ipſius qui demandavit, Pontificis? Brevia certe Pontificia, Alexandrinæ conſtitutionis & Formularii firmitatem evidenter tuentia, *inſtrumentorum* publicorum authoritatem ac robur obtinent. Porro apud omnes compertum eſt, non derogari *inſtrumentis* publicis per particulares ac ſecretas relationes, ac præſertim Partium dumtaxat commonitione clanculum in aurem velut inſuſurratas. Nec relationes illas profectò ratas habent Epiſcopi, qui ad Formularii ſubſcriptionem ſuos in clerum vel beneficia Eccleſiaſtica aſſumendos cogunt. Et quid legitimæ demonſtrationis adferri poteſt, qua adigantur ut ratas habeant? Cum itaque ad mentem exigentis juratio præſtari debeat, atque ipſe exigens juxta mandata Superioris, publicis documentis probata, hunc jurationis intellectum juſtè poſtulet, nullum patet effugium, quo jurantes illi, ſenſum publicum Brevium ſecretis ſuis ſuppoſitionibus (quæ non admittuntur) aliò detorquentes, à certiſſimo perjurio liberari valeant.

Verùm, inſiſtent fortaſſe, munimentis publicis perſpicue demonſtratur, *additiones* illas ſolennes Archiepiſcopi Mechlinienſis, quæ Formularium ad aſſertionem *facti* dilucida paraphraſi coarctabant, a Pontifice repudiatas. Audio; at qua de cauſa, amabo, repudiatæ ſunt? an quia in ſe falſæ erant, ac ſenſu adulterino Formularii ſcedulam vitiabant? Ubi hoc rurſus diſcitur? qua clara oſtenſione invehitur? quibus firmis teſtimoniis corroboratur? In confeſſo quippe eſt, licere, & moris eſſe Superioribus, ut adjectiones mandatis ſuis fa-

ctas alio quam falſitatis intuitu, imo vel ſolius interpolationis habita ratione expungant. Ac profecto nihil manifeſtius, quam plurima Scripta a Tribunali Romano inter rejectitia & apogrypha non ſolius falſitatis titulo adnumerari. Ut clarius eloquar, & ſincerè gloriam Deo demus, nequaquam ſane peccatum fuit ab *Additionum* iſtarum fabris, quod Alexandri Bullam à vera Pontificis iſtius mente, & aperta vocum ſignificatione detorſerint; ſed enormi ſe implicarunt facinori, quod rem facti controverſam (in cujus deciſione Pontificem falli expertem nec ipſe, credo, Steyartius ſuſtinuerit) jure pejerato ab omnibus Cleri candidatis mandaverint aſſeri.

Video & quoſdam provocare ad ea quæ ſub Clemente IX. in Galliis acta ſunt de quatuor famoſis Epiſcopis, qui diſtinctionem juris & facti mandatis ſuis interſeruerant. Deſideraſſem, fateor, liberari à provincia depulſandi objectionem hanc; ac totam negotiationem iſtam, propter honorem virorum inclytorum, qui illa partem habuere, urbano ſilentio ſepelire. Verum cum me illud rumpere compellat argumenti vis, quam nonnulli in tunc facta compoſitione ſitam credunt, vel invito animo promendum eſt qualecumque noſtrum de iſta negotiatione judicium.

Profectò dum omnia terroribus perſtrepunt, dum comminationes velut a Superioribus intentatæ ſparguntur de *novo & inuſitato* ulciſcendi *modo*, dum cum pertinaciſſimis adverſariis favore aulæ Regiæ ſuccollatis concertatio eſt, dum utraque poteſtas ſumma ab his in fraudem impulſa, & ſtrenuè præoccupata, nullas integro indicio vias aperiri ſinit; nihil miri ſi vel fortiſſimorum virorum conſtantia titubet, prudentia obnubiletur, & more deſperatis in conſiliis ſolito, captetur evadendi occaſio quæ ita deploratiſſime afflictis rebus ad ſolatium quoquo modo affulget. Conſiderandum præterea, compoſitionem iſtam interventu arbitrorum adornatam fuiſſe, qui ut graviſſimam tempeſtatem impendentem decutiant, ſæpe in pacta quædam iniquiora conveniunt, quorum aſſenſum dein à primariis ſuis ſive annuentibus ſive reluctantibus, propoſita luctuoſa temporum conditione extorquent. Hac aut non diſſimili ratione effectum arbitror, ut inſignes illi Antiſtites ſeſe in nudam terrifici illius Formularii ſubſcriptionem denique induci paſſi ſint. Permiſit quidem Pontifex, ut ad refocillationem aliquam miſeriæ *Declarationem* præmitterent ſcripto conſignatam* *qua ſinceriſſimè profiterentur ſe cum Innocentio X. quinque Propoſitiones ut hæreticas damnare, illaſque ſine ulla reſtrictione*

* *Vide ſancitæ ſub Clemente IX. pacis narrationem.*

ctione vel modificatione a ſe rejici, neque a ſe umquam ſub ullo ſenſu vel prætextu propugnandas. Quod vero ſpectat ad quæſtionem facti, qua ejusmodi Propoſitiones tribuuntur Janſenio, & ex ejus libro excerptæ dicuntur, ſe in hac parte præſtituros Conſtitutioni ſummi Pontificis Alexandri VII. debitam obſervantiam, obedientiam, reverentiam, qualis Sedi Apoſtolicæ libros proſcribenti exhiberi debet juxta Theologorum & Doctorum conſenſum; juxta doctrinam omnium retro ſeculorum, ac præcipuè noviſſimis temporibus aſſertam a viris ſanctæ Sedi Apoſtolicæ addictiſſimis, Eminentiſſimis Cardinalibus Baronio, Bellarmino, Richelio, Pallavicino, & aliis Theologis Sirmondo, Petavio; & juxta mentem Bullarum Apoſtolicarum, quæ in eo poſita videtur, ut nihil dicatur, ſcribatur, doceatur contrarium definitioni Summorum Pontificum. At paucis interjectis pro compoſitionis lugubеrrimo articulo additur: *Quod huic Declarationi ſcripto latæ ſubjicerent immediatè quatuor Epiſcopi Formulam ab Alexandro VII. concinnatam, cui cum ſuis Parochis & Sacerdotibus convocatis* NUDE *ſubſcriberent.*

Multa hic occurrunt quæ ancipites cogitationes ingerere poſſint penitius attendenti; nos paucis duntaxat obſervationibus contenti erimus. Imprimis non ita claret, quomodo liceat Epiſcopis propoſitiones ambiguas, dolo malo confictas, per contumeliam claro Præſuli improperatas, ac dein veritati non parum contiguas, imo (ut Panegyris demonſtravit) ad catholicum quemdam ſenſum inflecti non dedignantes, ſine *ulla reſtrictione vel modificatione rejicere.* Ut hoc infimo loco in Eccleſia poſitis ex obſervantia præſtare tutum ſit, non apparet quî id deceat Præſules ſuper candelabrum Eccleſiæ collocatos, quorum muneris eſt fideles illuminare; articulos credendos remotis ambiguitatibus terſè, ſimpliciter, & explanate proponere; omnem diviſionibus, conteſtationibus, exacerbationibusque cauſam præcidere; & ne Chriſtianus grex veram Eccleſiæ doctrinam pro errore rejiciat ac condemnet, ſollicitè præcavere. Jam a quinquaginta fere annis diſſidia atrociſſima fervent, quis ſit ille rejiciendus ac damnandus propoſitionum ſenſus: Paſtores à Paſtoribus, Epiſcopi ab Epiſcopis, Ordines ab Ordinibus, Univerſitates ab Uuniverſitatibus in illius determinatione immaniter diſſident; & necdum contentionum, diſcordiarum, jurgiorum, ac virulentiarum finis. Videtur itaque (ſit dicto liberiori venia) ad officium Antiſtitum illorum & aliorum viciſſim quorumcumque ſpectaſſe, ut vel à Pontifice dilucidam propoſitio-

ſitionum iſtarum verſatilium explicationem humiliter & conſtanter peterent, vel ipſimet eam pro dignitate loci quam poſſident (ne curæ ſuæ ſubjecti circa rem tam momentoſam in fraudes urgerentur) darent. Peccare ſaltem non poterant excipiendo ad propoſitiones ſingulas liquida verborum periphraſi ſenſum beatiſſimi Auguſtini: cujus doctrinam ab Eccleſia] non poſſe divelli, Anteceſſores ſuos ſecutus, tam diſerte & tam crebro ipſe Pontifex prædicaverat.

Præterea non omnino liquet an fas ſit ſeſe obſtringere ad ſilentium ſervandum in *facto* quod virum magnum, de Eccleſia bene meritum, graviſſima contumelia percutit; Epiſcopalis Ordinis ſplendorem ac gloriam dehoneſtat; doctrinam Auguſtini, totius mundi reverentia conſecratam, in diſcrimen apertum mittit; atque adverſariis gratiæ Dei latiſſimas triumphandi, & veræ fidei defenſoribus inſultandi, portas ac campos aperit.

Adhæc dum tali Declarationi immediate ſubjicitur formula ab Alexandro VII. concinnata, quæ nullis umquam machinis evidentiſſimam *facti* aſſertionem a ſe excutiet, eidemque formulæ *nude ſubſcribitur*; quid aliud agitur quam vel declarationem ambiguam ad claram *facti* affirmationem reducere; vel ſi quam aliam vim habebat, contraria ſubſcriptione velut convulſam, irritam, ac caſſam reddere. Utor ancipiti hac enuntiandi periodo: quia revera Declaratio ipſa per ſe conſiderata facti veritatem non it inficias. Addicit dumtaxat *obſervantiam*, *obedientiam*, *reverentiam*, *in eo poſita*, *ut nihil dicatur*, *ſcribatur*, *doceatur* facto *contrarium*: quod quidem cum illius veritate conſiſtere combinarique poſſe non difficili negotio liquet. Non eſt itaque cur nos jam tanta occupet admiratio, quod Pontifex in Brevi ſuo gratulatorio ad Epiſcopos memoratos reſcribat: *Cum nova & gravia iſthinc accepimus documenta veræ ac totalis obedientiæ veſtræ, qua & Formulario ſincere ſubſcripſiſtis, & damnatis abſque ulla exceptione aut reſtrictione quinque propoſitionibus, in omnibus ſenſibus, in quibus a Sede Apoſtolica damnatæ fuerant; alieni prorſus eſtis à renovandis hac in re erroribus illis qui ab eadem damnati ſunt.*

At quis non obſtupeſcat congratulationem talem a Viris illuſtribus ſilente ſubmiſſione recipi, ſi, ut par eſt credere, nullam facto Janſeniano fidem & aſſenſionem in animo impreſſam geſſerint? Sane quidem qui *in omnibus ſenſibus, in quibus a Sede Apoſtolica damnatæ fuerant*, propoſitiones damnat, ille utique & illas damnat in ipſo puro

ro puto ſenſu a Janſenio ſcribente intento: nam is hactenus ſolus & unicus ſolenni eloquio Pontificio profligatus eſt. Quid dicam? Sæpe * viris bonis accidit ut aliis ſanctis operibus multum intenti non ita ſolerter advertant ad omnia, quæ circa rem aliquam momentoſiſſimam perpendere convenit; adeoque fit ut in actiones vel omiſſiones quaſdam, ad pondus Sanctuarii nequaquam probandas, ob humanæ mentis anguſtiam imprudentes declinent. Nonnumquam quoque nonnullos Præpoſitos infeſtat ſubtilis tentatio, qua ſe ad ſingularem quandam circumſpectionem devinctos rentur, ne munere, quod in Eccleſia ad Dei gloriam & animarum ſalutem cum laude gerunt, animoſis nimium (atque ut in illa caligine exiſtimant) temerariis conſiliis excidant. Nec enim ſemper iis explorato conſtat an major gloria Dei ab ipſis poſtulet, ut hoc præſenti rerum ſtatu vinum ſuum aqua nonnihil miſceant, an cum muneris ſui periculo ac jactura veritatem & innocentiam fortiter tueantur. Facile etiam in ſpem ducuntur temporum lætiorum aliquando adfuturorum, quibus medicata jam & compoſita animorum exulceratione fas erit caput erigere, pro juſtitia & innocentia liberius proloqui, & vulnus bonæ cauſæ inflictum feliciter reſarcire. Hæc per transennam diſputans memoro, ut nævum illum egregiæ iſtorum Præſulum vitæ, ut mea quidem fert ſententia, interſperſum, qua licet, excuſatione extenuem. Quando enim, ut dixi, minis omnia perſonant, juſtitia throno pellitur, vi geritur res; certè non præter ſolitum evenit, ſi clariſſimorum virorum deſerta pene ab omnibus conſtantia nonnihil vacillet.

* *Vide Eſſais de morale Tom. 3. Traité. 7.*

Hinc igitur factum arbitror, ut qualeſcumque illius Pacis conditiones infortunatis illis temporibus præclari illi Antiſtites acceptaverint. Veriſimiliter ſeſe tutos rati ſunt, quod expreſſis verbis in *Declaratione* exciperent, non aliam ſe obſervantiam *facto* exhibere, quam quæ talibus factis communi Theologorum conſenſione debetur, eâque ſequentis Formularii formidoloſam ſubſcriptionem ſufficienter dilui crediderunt; Pontifex contra conventioni facile acquievit, quod videret *Declaratione* iſta *factum* non plane negari; & ſubſcriptione Formularii juxta obviam & totius humani generis concordia receptam ſignificationem diſerte aſſeri. Hoc etenim ex parte ſua erat largiri minima, & maxima adipiſci. Porro in omni compoſitione aliquid ultro citroque partibus contrahentibus dari, more generatim uſitato obtinet.

Fatendum tamen iſtam Epiſcoporum actionem ab hodierna triſtiſſi-

ſtiſſima juratione non parvis ſeparari limitibus. Tum enim Epiſcopi ipſi manifeſtè quæſtionem *facti* arctabant ad communem Theologorum ſententiam, quæ negat Pontificem aut Eccleſiam in factis ejusmodi falli neſciam. Jam ſine ulla reſtrictione aut explicatione (imo & alicubi cum explicationibus aggravantibus) jurejurando ſubſcribi jubetur Formulario aſſeverationem *facti* claram & ineluctabilem complectenti. Tum Epiſcopi jusjurandum a Parochis & Sacerdotibus ſuis accipientes, reſtrictiones additionesque pro varia ſubſcribentium conſtitutione attexi ſinebant; jam qui Formularii juramentum exigunt Belgii Præſules, qualemcumque additionem totis nervis ac contentione repudiant. Faventque illis (ut quod res eſt fateamur) Pontificia Brevia, quæ reſtrictionem ullam aut explicationem Formulario annecti vetant. Magno itaque intervallo ſubſcriptio & juratio hodierna ab antiqua illa per inclytos illos viros & Sacerdotes ſub eis militantes frequentata diſcriminatur. Quamvis enim Declaratio antiquæ præmiſſa nuncupari poſſet proteſtatio actui ſequenti, hoc eſt, nudæ Formularii ſubſcriptioni contraria, adeoque ſecundum Jurisprudentiæ regulas nihil operans; obſervandum tamen eſt aliud circa hanc rem cenſeri debere de *foro fori*, ut ajunt, aliud de *foro poli*: quia licet in iſto juxta ſanctiones humanas nihil efficiat actui contraria proteſtatio, in hoc tamen eousque ſaltem valere poteſt, ut verba jurantia (dum ſcilicet jurantis mens contraria per præmiſſam declarationem aperte diſcitur) à perjurii facinore immunia ſint. At cum ſubſcriptio moderna jam tota ſimplex ac nuda ſit, ac juratio prorſus contrariæ proteſtationis expers jungatur vocabulis quæ certum mendacium & contumeliam clariſſimi Præſulis graviſſimam continent, quibus id tandem artificiis ab aperti perjurii crimine liberetur, hactenus fateor me non aſſequi.

Cuperem certè à quodam jurationis patrono præformari aliquam periphraſim Formularii, quæ interjectis quibuſlibet (quas illi copioſe concedo) parentheſibus ita adornetur, ut falſitate, mendacio, calumnia careat. Omnis quippe periodus, jurejurando confirmanda, ita debet conſtrui poſſe, ut reddat enuntiationem veritati & juſtitiæ conſentaneam. Agedum ergo interpolet quis quæcumque viſum fuerit, reddatque ex Formulario conſtructionem aliquam veram quæ non impingat perſpicue in bonam mentem, nec ſit omnibus illam legentibus deridicula. Tentemus autem & nos periculum iſtius periphraſeos, ſi poſſimus. An forte primam Formularii partem hoc

pa-

pacto cum veritate conciliabunt: *Ego* N N. *Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentii X. datæ die* 31. *Maji* 1653: *& Conſtitutioni Alexandri VII. datæ* 16 *Octobris* 1656 *ſummorum Pontificum me ſubjicio:* videlicet *in iis rebus quæ ad orthodoxæ fidei integritatem conducunt?* Ut hoc (ne plus juſto moleſtus ſim) largiar dici poſſe de Conſtitutione Innocentii X; quem, quæſo, ſenſum tolerabilem reddit illa periphraſis de Bulla Alexandrina? Vel enim ea, quæ de facto Janſeniano definit, conducunt ad illam integritatem fidei, vel non conducunt. Si conducant; ergo Formularii ſubſcriptor, qui de Janſenii innocentia vel convictus vel dubius eſt, aperte pejerat. Si non conducant; ergo Conſtitutio illa tota reſcinditur, aboletur, & tenues vaneſcit in auras. Hoc enim illam unice pro ſcopo habere, & cætera narrationis dumtaxat ritu interſeri, omni Lectori integro ad oculum patet. Porro in abolitionem Bullæ iſtius non tantum non conſentit Innocentius XII, ſed clarè aſſerit: *Se non ſine admiratione intellexiße, nonnullos .. reperiri, qui verbis & calamo auſi fuerint affirmare, ſupradicto noſtro Brevi alteratam ſeu reformatam eſſe conſtitutionem Alexandri VII.* 16. *Octobris anni* 1656. *editam, nec non Formularium ab ipſo pronunciatum:* CUM DICTO BREVI UTRUMQUE SPECIFICE CONFIRMETUR; *& omnino intenderimus & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam ſinere, ut aliquid addatur, vel dematur a prædicto Formulario,* ILLUD QVOVIS MODO ALTERANDO IN ALIQUA EJUS MINIMA PARTE; *ſed quod in omnibus & ſingulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam ad amuſſim obſervari.*

Quid autem ſani ſenſus jam iſte jurationis advocatus exſculpet ex altera Bullæ parte: *& quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, & in ſenſu ab eodem authore intento, prout illas per dictas conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, & damno, & ita juro.* An & hic alicubi interjiciet *in iis quæ ad orthodoxæ fidei integritatem conducunt?* Non opinor. An hac periodo non aliud affirmari dicet, quam *quinque Propoſitiones ſincero animo rejicio & damno;* totumque illud: *ex Cornelii Janſenii libro cui nomen Auguſtinus excerptas, &c.* per modum connotati, incidentis, vel meræ parentheſeos inſui? At damnatio Propoſitionum jam bis proclamata fuit in ipſa prima Formularii parte, per ſubmiſſionem factam utrique, Innocentii ſcilicet atque Alexandri, Pontificum Bullæ. Quid ergo neceſſe erat eam jam tertio repeti in ſymbolo tam anguſto?

Prӕterea ſi tota illa longa parentheſis vim incidentis ſecundarii dumtaxat habet, quid, amabo, vim obtinet primarii prӕdicati? neceſſe quippe eſt ex correlativorum regula, ut ubi aliquid ſecundario ingeritur, aliquid vice verſa primario fulgeat. Verbi cauſa cum dici audio, *Alexandrum regum fortiſſimum prӕlio Darium fudiſſe*, facile induci poſſum ut credam eum, qui hӕc pronunciat, inſtar parentheſeos enunciaſſe verba illa *regum fortiſſimum*, atque in animo dumtaxat habuiſſe ut audienti ingereret Darii cladem. Verùm ſi quis dicat: *ego Alexandrum regum fortiſſimum flocci pendo*: nonne audienti omni, juxta receptam locutionis normam, in cogitationem veniet quod enunciator ille & Alexandrum regum fortiſſimum aſſerat, & vanam fortitudinis illius gloriam flocci faciat? Nimirum ut vox aliqua interjecta in enuntiationibus iſtis complexis, ut vocant, vice incidentis ſumatur, vice prӕdicati primarii aliud quidpiam adeſſe debet, quod audientem fortius feriat, & intellectum ſive cogitationem ejus, contempto incidente, ad ſui obſervationem vivacius trahat. Exempli gratia, ſi ſecunda pars Formularii hoc modo concepta eſſet: *Quinque Propoſitiones ex Cornelii Janſenii libro, cui nomen Auguſtinus, excerptas, tamquam hӕreticas, impias, blaſphemas, prout illas Sedes Apoſtolica damnavit, ſincero animo rejicio, & damno, & ita juro*: non inconcinne exiſtimari poſſet, verba hӕc, *ex Cornelii Janſenii libro excerptas*, narrationis ritu interlocata eſſe, totamque vim enuntiationis exeri in acerrimam illam *qualificationem* propoſitionum, quӕ eas *hӕreſeos*, *impietatis*, & *blaſphemiӕ* reas arguit. At cum prӕtenſum illud incidens tam longo orationis ſyrmate inculcatur, vocibusque tam ſelectis *ſenſus ab authore intenti* conſtruitur; nec aliud additur quam *rejicio & damno*; univerſa certè conſtructionis ſeries evidenter commonſtrat, prӕgnantem illam *facti* relationem à Formularii conditore pro primario vereque aſſerto prӕdicato ſtatui.

Dein, ut rectè advertit auctor elegantiſſimi libelli, cui nomen *Ars Cogitandi*, in complexis illis enunciationibus ſæpe magis obſervanda venit loquentis intentio quam ipſe nudus & exterior verborum ſonus. V.C. ſi quempiam, qui indies apud congerrones ſuos certat pro prӕcellentia Alexandri Magni ſuper omnes reges, dicentem audiam jam crebro memoratas voces: *Alexander, regum fortiſſimus, Darium prӕlio fudit*: non difficulter mihi perſuadebo, verba iſta *regum fortiſſimus* ab illo non jam incidenter, ſed ſerio, primariè, & aſſertivè dici. Cum itaque ex Alexandri VII. Conſtitutione diſertè

l'Art de penſer partie 2.c. 5.

con-

conſtet, propoſitum ejus fuiſſe, ut Theologos illos inſignes, qui de *facto* Janſeniano in Galliis ambigebant, compeſceret; tametſi Formularii elocutio (quæ quidem & planiſſima & urgentiſſima eſt) languidior aut ſubobſcurior eſſet, comparatione ad *conſtitutionem* relata explicari deberet, & ad *facti* aſſertionem Lectoribus ingenerandam duci. Quare quidquid viri, cætera eruditi, de hac quæſtione ajant vel ſcribant, ſi mentem præjudiciis carentem adferas, comperies non niſi meras argutias eſſe ad expediendum Formularii Alexandrini concinnatorem, qui rite expediri non poteſt niſi ingenua confeſſione obreptionis Pontifici aut ejus Conſilio peſſimis dolis factæ adverſus Scriptorem excellentiſſimum, & quales pauciſſimos, ſi tamen ullos (ut infra declarabitur) poſt Scripturas Eccleſia numerat.

Profecto ſi factum ſua conſtitutione non definivit Alexander VII, edicant juramenti protectores ſine ambagibus, & paradoxis conceptibus, quid ergo fecit? Omnes planè, ut ex hiſtoria iſtorum temporum liquet, viſâ Innocentii Bullâ, in condemnationem quinque Propoſitionum manibus ac pedibus iverant. Si nihil amplius itaque ad fidei orthodoxæ integritatem Pontifici conducere viſum fuit, ad quid, obſecro, Alexandrina Bulla, aut formula, & tanto petita ambitu, & tanto data? ad quid luctuoſa illa Galliæ totius commotio, tot procellarum in omnis conditionis, ordinis, ac ſexus capita ſævientium horrendè ferax? cur tot Sacerdotes, Paſtores, Canonici, Vicarii Epiſcoporum, Theologiæ Doctores, Religioſi ac Religioſæ beneficiis exuti, in exilium miſſi, carceribus mancipati, Sacramentis etiam in morte privati, publicis contumeliis affecti, aliisque malis attriti, & enecti: ut ex libello, cui titulus *afflicta Francia Eccleſia*, locupletius cognoſci poteſt?

Fixum igitur invictumque maneat, Janſeniani facti aſſertionem tum Conſtitutione tum Formulario Alexandri, clariſſime ac validiſſime contineri. Æque fixum invictumque maneat, eamdem Conſtitutionem ac Formularium ab Innocentio VII. *ſpecificè confirmari, neque reformari aut alterari in aliqua vel minima ejus parte*: id quippe manifeſta verba Brevium diſerte ferunt. E quibus duobus ad radios ſolis colligitur, omnes aut pæne omnes, qui Formulario cum jurejurando aſſentiuntur, à graviſſimi mendacii, contumeliæ, falſi teſtimonii, aliuſve magni flagitii noxia non poſſe eximi. Qui evoluto accuratè Opere Janſeniano innocentiam ejus conſpicuè micantem cernunt, ſi Formulario ſubſcripſerint, mentiuntur, calumniantur, inſon-

 tem

tem damnant, falſum teſtimonium loquuntur, pejerant. Qui Opus non legerunt, at auditis & tam variis & tam magnificis pro ejus innocentia argumentis, ex ſola Superiorum quandoque in hac materia parum exercitatorum auctoritate nocentem ſtatuunt, temerarie judicant in re graviſſima; & ita ſubſcribentes, calumniæ aut perjurii crimen quo pacto etiam a ſe amoveant, non invenio. Qui craſſa & affectata ignorantia ad argumenta innocentiæ Janſenianæ oculos claudunt, & lucello aliisve temporalibus intenti compendiis, ad arbitrium Superiorum cerei in jusjurandum proſiliunt, hi profecto in paraſitorum ſpiritualium catalogum referendi ſunt: veritatem, charitatem, & ſalutem animæ ſuæ venalia habentes pro commodis aut honoribus vitæ hujus. Qui Janſeniano volumine ſtudioſe perlecto, doctrinam viri magni ab Auguſtini & Eccleſiæ dogmatibus alienam comperiunt, hos quidem oportet (niſi præfidentis genii infamia adſpergi velint) loca illa Janſeniana, & Auguſtiniana his contraria aliis eruditis Janſenium protegentibus pandere, ſolutiones modeſte excipere, ſuis redargutionibus rurſus inſtare, & omnibus perpenſis, auditisque doctorum & integrorum virorum judiciis, vel à ſua opinione recedere, vel eidem fortius inhærere. Hi poſtremi, ſi alicubi dentur aut dari valeant, unici prorſus ac ſoli ſunt qui in Formularium jurando euntes, ab atrocibus illis facinoribus purgari poſſunt. At fortaſſe quis neque Janſenianum volumen legerit, neque de concertationibus eodem ſpectantibus quid audierit; idemque a Superiore ſuo requiſitus, ſimpliciter in juramentum conſentit. Hunc ego equidem è Braſilia vel Canada vel Tououpinambaoultia huc recenter advectum credam: ſi tamen & novus iſte orbis ob aves illuc volantes de Janſenianis lemuribus plane ſilet. Verum ne rigidiora ſectantibus addictus cenſear, talis quisquis is eſſe poteſt, etiam per me immunis abeat a perjurio. Itaque, ut paucis abſolvam, niſi ſolos pæne Braſilianos, Peruanos, Mexicanos, Paraguarios, Belgii Hiſpanienſis Epiſcopi Ordinibus donent (nam qui ſuis oculis Janſenium nocentem comprererunt paſſim altius ſunt evecti) non alios in Clerum quam multis flagitiis nigros jurata Formularii ſubſcriptione recipiunt. Quantis enim ſeſe devincit criminibus, qui per mendacia, temeraria judicia, contumelias, innocentis damnationem, falſa teſtimonia juramento conteſtata, ad presbyteratus ſacri faſtigia ſcandit!

Porro ſi tantis ſceleribus ſe irretiunt jusjurandum falſa erga Superiorem ſubmiſſione præſtantes, quibus tandem criminibus ſeſe implicant

plicant qui illud exigunt? An forte Inferioribus non licet mentiri, temere judicare, calumniari, immerentem damnare, falſum teſtimonium dicere; Superioribus mendacia, temeraria judicia, calumnias, ac damnationes inſontium mandare licet? An flagitio deputatur contumelias firmare perjurio, & noxâ vacat contumelioſa perjuria a ſubditis extorquere? An horrifici facinoris eſt ad gradum Sacerdotii per acervum flagitiorum eniti, & levis errati erit hanc ſolam Chriſti noſtri Sacerdotio januam aperire, & aliam quamcumque claudere? Fateor, potuerunt Præpoſiti, cum multis diſtineantur negotiis, initio conteſtationum harum ſpecioſa fraudi vel obreptioni ſibi factæ prætexere nomina; ac revera etiam a graviore ſaltem delicto in proſcriptione ingentis & cum otio legendi voluminis excuſari; at quæſtione hac jam toties & tam robuſtis ſcriptis eventilata; atque animoſitate adverſantium tam crebris provocationibus fracta, tam robuſtis argumentis eliſa, contuſa, & redacta ad ſilentii incitas; quis adhuc locus Superioribus relictus erit, ut innocentiſſimi viri addictionem cujuscumque velo excuſationis coram ſummi illius Judicis incorrupti oculis ſuſtineant obumbrare? Profecto non ſatis eſt dominari ſuper populum Dei, cum auſteritate imperare ſubjectis & cum potentia, *nec quod infirmum eſt conſolidare, quod ægrotum *Ezech. 34.
ſanare, quod confractum alligare, quod abjectum reducere, & quod perierat quærere. At quid, quæſo, apud Dei tribunal erit firmos evertere, ſanos lædere, confringere vegetos, ac via recta incedentes, in voraginem erroris & interitus violento imperio præcipitare? †*Deus magnus*, inquit Propheta, *potens*, & *terribilis*, *qui perſonam non accipit*; quinimo ‡*exiguo conceditur miſericordia*; *judicium autem duriſſimum iis qui præſunt*, *fiet*. * *Horrendumque eſt incidere in manus Dei viventis*. †Deut. 10. ‡Sap. 6. *Ad Hebr. 10.

Arbitror jam ſublucere ex his, quid ornatiſſimi viri veſtri per celebrem deputatum ſuum, omnibus omnino aliis tantiſper ſepoſitis, ab optimo Pontifice enixiſſime debeant flagitare: nimirum id omne & ſolum quod in Panegyreos Janſenianæ præloquio luculentiſſimis rationibus evictum dedimus. Primò poſtulanda eſt deſcriptio perſpicua ac diſtincta ſenſuum, in quibus propoſitiones hæreſeos aut erroris damnare oporteat. Ambiguitate illa durante, nulla prorſus umquam cum adverſariis ſperanda pax. Videntur id ſatis perſpexiſſe illi ipſi Epiſcopi, qui Janſenio malè affecti, cenſuram propoſitionum olim a Pontifice petierunt. * *Intercludendum*, inquiunt, *penitus ſperamus* *Journal de S. Amour p. 2. c. 2.

quorumdam cavillis & effugio locum, ſi, ut precamur, Sanctitas tua quid in hac re ſentiendum ſit CLARE DISTINCTEQUE *definiat. Obteſtamur ergo ut has præſertim propoſitiones, de quibus diſceptatio periculoſior ac contentio ardentior eſt, Sanctitas tua expendat, ac* PERSPICUAM *& certam de unaquaque ſententiam ferat.* Et iterum. *Flagitamus, Beatiſſime Pater, ut* CLARA *firmâque* DE PROPOSITIONUM ISTARUM SENSU PROLATA SENTENTIA, *caliginem omnem diſcutias, animos fluctuantes componas, diſſidia prohibeas, Eccleſiæ tranquillitatem ſplendoremque reſtituas.* Eventus docuit quam æqua, prudens, & neceſſaria hæc fuerit poſtulatio. Dum enim propoſitiones in ſua incertitudine & obſcuritate relictæ manent; nec quem præciſe ſenſum prolata ſententia feriat, hactenus a quoquam legitimis documentis oſtenſum eſt; hinc pro diſcuſſa caligine, pro compoſitis fluctuantibus animis, pro diſſidiis amotis, pro Eccleſiæ tranquillitate ac ſplendore reſtitutis, omnia exinde vidimus in pejus ruere, diſputationes incendi, diſſidia creſſere, Eccleſiæ fulgorem offuſcari ac deteri; idemque etiamnum adhuc mœrentes videmus, & donec ſenſus damnatus perſpicuis firmiſque circumſcribatur coarcteturque vocabulis, ſine fine videbimus. Ita viciſſim à Pontifice poſtulârant Epiſcopi Janſenio dediti, tum per ſuam epiſtolam, ut * *ſenſus veros, falſos, ambiguos* propoſitionum *diſcerneret*; tum per ſuos Oratores, † *ut diſtingui, & ſigillatim examinari juberet varios ſenſus quinque Propoſitionum æquivocarum & ad fraudem fictarum; atque ut de prædictis ſenſibus, prout exiget illorum veritas & aliorum falſitas, ſententiam ferre velit, partibus prius in Congregatione tum voce tum ſcripto coram auditis, & omnibus illarum ſcriptis mutuo communicatis.* Mens quoque eadem olim ſteterat Cardinali Pimentellio, ‡ qui poſt editam ab Innocentio Conſtitutionem Pontifici ſupplicare decreverat, ut declarationem perſpicuam ac diſtinctam emitteret ſenſuum, in quibus Propoſitiones quinque repudiaſſet ô Utinam quod prudens ille Cardinalis ſolerti animo agitaverat, ſollicitiſſimo ſtudio dediſſet effectum! Quantis ô quantis Pontificem demeruiſſet obſequiis! quantis Eccleſiam levaſſet doloribus! quantis veritatem, hoc eſt, Deum ipſum ſibi conciliaſſet officiis!

* *S. Amour p.* 3. *c.* 1.

† *S. Amour p.* 4. *c.* 2.

‡ *Saint Amour part.* 7. *c.* 2.

Secundò palam coram cœlo & terra elatæ vocis encomio Janſenii prædicanda eſt innocentia, indefatigatæque preces apud Sacerdotium & Imperium ſine intermiſſione accumulandæ ſunt, ut Opus ejus elaboratiſſimum accurate excutiatur per viros integros & idoneos, ac

cum

cum magni Auguſtini voluminibus conquiſitiſſimâ diligentiâ conferatur; ut ita liber Præſulis eruditiſſimi, ac collatis in Eccleſiam & Rempublicam meritis celeberrimi, tandem aliquando erumpat ex iniquis illis tenebris, ubi factione obnoxiorum hominum jam a tot luſtris obrutus ac preſſus jacet. Demonſtrandum perſpicuis rationibus (quod perquam eſt facile) doctrinam Eccleſiæ magis jam eſſe illigatam Janſenio ſeu perſonæ ac ſcriptis ejus, quam umquam perſonæ Athanaſii innexa fuit: cujus tamen damnationem olim tam graviter Eccleſia tulit. Unà conveniet declarare, Scriptoris glorioſi Volumen tum dignitate materiæ, tum excellentia ſapientiæ, tum pietatis afflatu libris omnibus, quos Eccleſia Dei poſt Canonicas Scripturas protulit, aut non cedere, aut palmam etiam cum laude auferre. * *Non inſanio*, *ô optime* amicorum, *ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor.* Si enim, nullâ auctorum cæterorum injuriâ, Auguſtinus Patrum ſummus in Eccleſia habetur ac creditur; quid ergo librată ſententiâ pronuntiandum de Opere, quod Auguſtini medullam ex omnibus ſcriptis ejus coagulatam, pulcherrimo ordine digeſtam, a primis fundamentis ad ſumma usque faſtigia deductam, continua rationum ſerie velut implexis ſibi anſulis concatenatam, atque ab omnium objectionum cavillationumque argutiis liberatam, graviſſimo ac facundiſſimo eloquio continet? Hos titulos omnes eminenter mereri expolitum illud ac cedro dignum Janſenianum opus, non diffitebitur quisquis poſt deguſtata Auguſtini volumina ſe illius lectioni integro ac maturo judicio dederit.

* *act.* 26. 25.

Altum clamant adverſarii noſtri Acatholici, Romanam Eccleſiam abdicata Auguſtinianæ, hoc eſt, veræ Chriſtianæ gratiæ doctrina ad Pelagianorum agmina defeciſſe; adeoque immerenter veræ Catholicæ Eccleſiæ decoribus gloriari. Quamvis hoc improperium, ut in *Panegyri* edocuimus, robore veritatis careat, non tamen omni prorſus deſtituitur veri ſpecie, quamdiu liber Auguſtinianam & catholicam gratiæ doctrinam complectens, ſub injuſtiſſimæ oppreſſionis tumulo ſepultus putreſcit. Poſtulat ergo ſplendor ipſe totius Eccleſiæ, ne examen elegantiſſimi Operis, quod dogma præcipuum Chriſtianæ pietatis ſupra omnes antehac celebratos Scriptores magnificentiſſimè & ad unguem perpolite tractat, diutius cum incommodis & tam multis & tam horridis protrahatur. Liber ad manum eſt intemeratæ impreſſionis è primo prælo. Abundat Eccleſia viris eruditis, qui opus litigioſum cum Auguſtino exactè conferant. Quod petitur facile eſt,

æquiſſimum, neceſſariam. Nulla alia via ſupereſt, qua dirum iſtud ſpectrum Janſenianum, quod jam diu ſatis ſummos & imos territat, exigatur à fidelium finibus. Optio enim neceſſario facienda eſt horum trium: vel ſilentio æterno ſepeliendus Janſenius; vel reus habendus; vel a labe purgandus eſt. Quamvis iniquiſſima res videatur, præſtantiſſimum, quod Chriſtianus orbis vidit, ſcriptionis Theologicæ ornamentum ſempiternis latebris condere; ſile tamen quantum volueris, non deſinet umquam Moliniana phalanx vexare Auguſtiniana dogmata, & contra propugnatores ejus ad ravim inclamare *ſenſum Janſenii*, *ſenſum Janſenii*, ſicut olim Judæi *templum Domini*; adeoque diſſidia, Eccleſiam tam fœde depopulantia, in diem usque judicii exulcerare, Porro ſecundum, e tribus propoſitis, non ſinit veritas. Tertium itaque magno animo ab omnibus veritatis, charitatis, ac divinæ gratiæ amatoribus exantlandum eſt. Si gloriæ ducitur, imo ſi charitas imperat, viros excellentes à graviſſima qua premuntur infamia, in hac præſenti vita, dum facultas tibi adeſt, eripere; quanto magis id officii vita functis, & in cœlo, ut ſperamus, cum Chriſto regnantibus præſtare convenit? Dein ſi attente conſideres ingentia illa emolumenta, per quæſtionis hujus deciſionem pleno cornu in Eccleſiam redundatura: ita ut illâ perfectâ merito has voces uſurpatura ſit: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*; inflammaberis zelo magno ut opem feras laboranti Matri, eamque emittas in tantam latitudinem, ex tam prementibus durisque anguſtiis.

At, inquiet fortaſſe quiſpiam, quid non profuturis nos teque calcaribus ac querelis incendis, cum nullo umquam tempore Pontifex aut Conſiliarii ejus ſint inducendi, ut acta adverſus glorioſum Antiſtitem tametſi per obreptionem obtenta revocent; judicata reſcindant; aut conſtituta reforment? Næ, qui ita opinantur, non levem mihi videntur optimo Pontifici & perſpicaciſſimo ejus Senatui injuriam indignis ſuſpicionibus irrogare. Quid? tota retro hiſtoria exemplis, jus Canonicum reſcriptis, Theologorum ſcripta documentis referta ſunt, quibus eniteſcit Eccleſiam ſententias injuſtas libenter reſcindere; quæ ſubreptione vel falſis precibus impetrantur, pro nullis ducere; ac quæ per inſidias elicita ſunt, facili indulgentia in integritatem priſtinam vindicare,

**cap. 5. ✕. de Reſcript. vide & Joan. 22. extrav. execrabilis deprab.*

Nonne Alexander III. ad Archiepiſcopum Ravennatem diſertè ſcribit: * *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum*

tuum

tuum exaſperare videntur, turbari non debes; ſed qualitatem negotii, pro quo ſcribitur, diligenter conſiderans; aut mandatum noſtrum diligenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non poſſis, RATIONABILEM CAUSAM PRÆTENDAS: *quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.*

Nonne Capite *ad Apoſtolicæ de ſent. & re Judic. lib. 6.* aperte denuntiatur: ET SI ECCLESIA EUM IN ALIQVO CONTRA DEBITUM LÆSERAT, PARATA ERAT CORRIGERE, AC IN STATUM DEBITUM REFORMARE, ET REVOCARE SENTENTIAM SI QVAM CONTRA IPSUM INJUSTE TULISSET?

Nonne Innocentius I. in cauſa Epiſcopi Photini Præſulibus Macedoniæ ingenuè confitetur: * *Veniam nunc ad maximum Photinum quaſi ad quoddam thema, & (quod mihi anxium eſt ac difficillimum) Majorum meorum revolvam ſententias. Fuerat de illo quoquo pacto (ut ipſi etiam commeminiſtis) aliquid utique gravius conſtitutum; verum quoniam id per rumorem falſum, ut aſſeritis, ſubreptum huic Sedi, & elicitum per inſidias demonſtratis* (non poterat cauſam Janſenii penicillo terſiore deſcribere) *quia res ad ſalutem rediit, veniam nos hanc, in tantum vobis annitentibus, poſt condemnationem more Apoſtolico ſubrogamus.* Utinam has quoque voces mereamur tandem aliquando audire ab æquiſſimo Innocentio XII, ut diutinis illis diſſenſionibus ſtatuatur finis; nova demum Eccleſiæ facies poſt nubila redeat; & pia Mater poſt longam illam filiorum in utero ſuo colliſionem ad lætitiæ communis partem vocata, cum hoc Jubilæo ſeculari refocilletur!

**Can. veniam 35. q. 9.*

Nonne & ſanctus Bernardus velut ſingulare Apoſtolicæ Sedis privilegium recitat: **Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur præſertim apud Sanctam & ſummam Sedem.*

Epiſt. 180.

Nonne etiam reipſa Benedictus Secundus librum Sancti Juliani Archiepiſcopi Toletani *de tribus ſubſtantiis*, quem ante reprobari juſſerat, viſo Apologetico Juliani à cenſura inflicta liberavit, & omnia in eo **juſta & pia eſſe deprompſit?*

Nonne Henricus III. & Joannes II. quaſdam propoſitiones Toſtati, ac Petrus Rex Arragoniæ ſcripta Raymundi Lullii ab illata damnatione interventionis ſuæ patrocinio fecêre immunia?

**Rodericus Arch. Tol. lib. 3. c. 13.*

Nonne & Cardinalis Baronius de ipſis quoque Oecumenicis Synodis

dis fidenter docet quod in iis, quæ fidem ſpectant, non liceat quidem à conciliaribus conſtitutis recedere; verum quod * *in iis quæ ad perſonas pertinent, & ſcripta ipſarum, non ita rigidè reperiatur cuſtodita cenſura. Nam patens*, inquit, *exemplum eſt de quinta Synodo, quæ tria capitula condemnavit, de quibus a Sancto Chalcedonenſi Concilio videri poterat aliter actum, nempe de Theodoro, Theodoreto, & Iba.* IN HIS ENIM QVÆ FACTI SUNT, UNUMQVEMQVE CONTINGERE POSSE FALLI, NEMINI DUBIUM EST; *ut tum illud Pauli ad Corinthios uſurpari poſſit: Non enim poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.*

* Anno 631. n. 39.

Nimirum ita obreptum fuit Papæ Damaſo in cauſa Timothei Apollinariſtæ; Zozimo in cauſa Pelagii & Celeſtii; Stephano in cauſa Formoſi; Vigilio circa tria dicta capitula: quæ decretis ſuis modò approbavit modò proſcripſit; ut plane neceſſe ſit vel in *Judicato*, ubi capitula damnat, vel in *Conſtituto* ubi illa protegit, errore facti circumventum in contraria declinaſſe. Dies me deficeret, ſi omnia in hanc rem & clariſſima, & certiſſima, & conſtantiſſima copioſius vellem proſequi. Hinc & ipſe Formularii Architectus Petrus a Marca, commentans Decretum Vigilii Papæ: "Ex epiſtolis Vigi-„lii (ait) & Pelagii colligere licet unam & alteram regulam apprime „utilem, & omnibus diſceptationibus Eccleſiaſticis valde accommo-„datam. Earum prima eſt: Fidei canonem mutari non poſſe, & quæ-„ſtiones dogmatum Univerſalis Synodi Judicio ſemel ſopitas, iterum „excitari non debere. *Regula quidem fidei*, inquit Tertullianus, *una „omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis.* Secunda: In aliis cau-„ſis extra fidem, id eſt in capitibus diſciplinæ (quæ verſantur non „ſolum in facto ſed etiam in jure) veritatem nunc latere, nunc aperiri; „quæ cum ſeſe prodiderit, priores conſtitutiones immutandas: ſive a „Conciliis generalibus, ſive a ſummis Pontificibus profectæ ſint. Quod „non ſolum Vigilius profitetur in epiſtola noſtra ſed etiam Pelagius II. „SPECIALIS, inquit, SYNODALIUM CONCILIORUM CAUSA, EST FI-„DES. QVIDQVID ERGO PRÆTER FIDEM AGITUR, LEONE DOCENTE „OSTENDITUR, QVIA NIHIL OBSTAT SI AD JUDICIUM REVOCETUR. Habes hic ergo veritatem hanc ipsâ præcipui pæne adverſarii noſtri voce depromptam; & Pontificum, alios quoque Pontifices in rem ſuam advocantium, expreſſis teſtimoniis roboratam. Sit ergo omnino validum & ineluctabile, in talibus quæſtionibus ac controverſiis Eccleſiæ obrepi poſſe; & cum obreptio facta demonſtratur, quicquid,

ex illa injuſtè perfidéque promotum obtentumve eſt, ab eadem veritatis ſponſa facile ac gratanter reſcindi. Certè extra omnem dubitationis aleam poni debet, nullo pacto velle Pontificem in corde ſuo, ut Præſul inſignis, non modo nihil ignominiæ ſed ingentes laudes promeritus, tanquam hæreticus infametur per univerſum Chriſtianum orbem; ut liber veram ac ſolidam gratiæ divinæ doctrinam continens, velut aberrationum ſeminarium inglorius jaceat; ut B. Auguſtinus impiè confodiatur per latus Janſenii; denique ut tota, ob rem dolo maligniſſimo occupatam, diviſionibus, odiis, contumeliis, ſcindatur Eccleſia. Docendus eſt itaq; ſedulò de machinationis hujus peſſimæ artificiis mitiſſimus Pontifex, aperiendumq; quibus initiis, viis, præſidiis, fraudibus perventum ſit ad confixionem excellentiſſimi Scriptoris, quem hæc ætas, imo (ut demonſtravi) tota retro antiquitas protulit.

Paſſim id permittit providentia divina, ut in magnæ injuſtitiæ facinoribus ſimul interveniant indicia non vulgaria, e quibus integri rerum æſtimatores ad ipſius veritatis cubile penetrare queant, & velut palpare manibus, certa atque inviolabilis æquitas qua parte ſtet. Ita in Janſenii negotio omnia * ſolarum animatiſſimarum partium factionibus peracta vidimus, & usque adeo præoccupatas ſupremas atrociſſimis contumeliis poteſtates, ut ne quidem Oratoribus, ab Epiſcopis decem & uno Archiepiſcopo deputatis, pro innocentia clariſſimi Janſenii licuerit hiſcere. ** vide præloquium Panegyreos.*

Adhæc numquam auditum eſt in Eccleſia, ut propoſitiones quædam affingerentur Scriptori aliis tornatæ terminis, quam quibus illas ipſe tradiderat; & tamen damnarentur tanquam verè ipſius, & quidem in ſenſu ab ejusmodi Scriptore intento. Numquam etiam Concilia damnarunt hæreſim quamcumque in ſenſu auctoris non explicato, & qui ſeſe occulit verbis illis myſterioſis SENSUS JANSENII, quæ nemo nobis legitima auctoritate pandit.

Hæc & ſimilia plura reverenter ac fortiter Pontificiæ prudentiæ ac manſuetudini exhibere deberent viri veſtri Clariſſimi per ſuum apud Sedem Apoſtolicam delegatum, ac Romanis auribus inſinuare præclaram illam Romani Præſidis gnomen: * *Quia non eſt Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem priusquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Quidquid ab his diverſum egerint, crede mihi, non aliud erit, quam radice mali non exciſa, circa ſtolones exuberantes pretioſa inutiliter litigia ducere. ** Actor. 25.*

Enimverò omnium mortalium infeliciſſimi eſſent Præpoſiti in dignitate celſiſſima ſive Seculari ſive Eccleſiaſtica conſtituti, ſi nullus ad eorum Thronum Veritati pateret aditus; & ſemel errore aliquo, tametſi ſaluti eorum non parum infeſto, circumfuſis, nullo deinceps adminiculo liceret emergere. Tum ſane multo quidem ſatius eſſet ad abjectiſſimæ onerariæ clavum ignobiliter deſidere, quam ad prima gubernacula reipublicæ. Porro ſi ſolio eorum proximi, & fulgore radiantis poteſtatis perſtricti, hanc illis fortaſſe Chriſtianam operam navare metuunt; magno certè eos afficit beneficio, quisquis cogitationes omnes humanas in negotio tanti ponderis ſupergreſſus, veritatem illis ſincere nuntiat, & quanto in diſcrimine apud omnia ad pondus Sanctuarii trutinantem Judicem verſentur, oſtendit. Habent paſſim viri principes multam circa ſe turbam, quæ commodis ſuis inhians placentia loquitur, & quidquid benevolentiam eorum aut liberalitatem refrigerare poſſet, belliſſime edocta eſt declinare. At nulli ipſos Chriſtiano ac cordato magis amore diligunt, quam qui ſuo tum periculo, tum diſpendio, quidquid illos coram tribunal ſummi Dei obnoxios reddit, humiliter & confidenter aperiunt.

Magnum itaque & inenarrabile non in Eccleſiam tantum univerſam, ſed in ipſum etiam Pontificem officium conferet, qui ſuis eum inſtructionibus ac hortatibus permovebit, ut totum hoc negotium ad incudem revocet; & perſpecta egregii Epiſcopi innocentia, opus deſideratiſſimum, atque à gratiæ divinæ amatoribus cum jubilo excipiendum, afflictiſſimæ Eccleſiæ hac jubilari feſtivitate reſtituat. Qui contraria Superioribus inſtillant conſilia, veritatem in injuſtitia detinent; Eccleſiæ diſſenſionibus velificantur; iram Dei & Chriſti ejus, de quorum gloria & gratia agitur, incendunt in caput ſuum; &, liceat & hoc dicere, peſſime merentur de ipſa Apoſtolica Sede. Quid enim? an fortaſſis de honore aut auctoritate Superioris aliquid decerpi autumant, ſi recognoſcat quod verſutorum hominum improbitas, per mille cuniculos, ut in Panegyri copioſius recenſuimus, fallaciter & injuſte extorſit? Imo nullus eſt verus honos, qui cum veritatis & juſtitiæ honeſtate junctus non eſt; & ſumma iſta Superiorum eſt gloria, impoſtores, Thronum Principum ſuis auſis mendacibus contaminantes, non tantum non ſinere de perfidis artificiis triumphare, ſed etiam digno facinoribus ſupplicio plectere.

Dein quæ inhonoratior labes Sedi Apoſtolicæ adſpergi poteſt, quam quod (prohibeant Superi) à vera Chriſti gratia divortium fecerit;

cerit; Auguſtinum olim ſuo & Eccleſiæ nomine de Pelagianis triumphantem repudiarit; in profligatorum Pelagianorum caſtra conceſſerit; nec jam amplius ut præcipua Catholicæ veritatis arx a fidelibus adſpici mereatur & coli? Porro ad hæc horrifica inevitabiliter veniendum eſt, niſi obreptionem Alexandro VII. per malitioſos homines in Janſeniana accuſatione fuiſſe factam, aperte ac candide fateamur. Sic enim argumentabitur quis minus propenſa forte in Sedem Apoſtolicam voluntate: Pontifex damnavit ſenſum Janſenii; ſenſus Janſenii cum Auguſtino & Eccleſiæ doctrina manifeſtè concinit; Ergo Pontifex damnavit doctrinam Eccleſiæ. *Minor*, aut *ſubſumptum*, ut in ſcholis vocant, facili negotio probari poteſt; & ego me illius clarè & fortiter demonſtrandæ in Panegyri vadem obtuli. Alterutrum ergo invictè, & indeclinabiliter eligendum: aut in facto obreptum fuiſſe Pontifici; aut Pontificem in ipſo *jure* ab Eccleſiæ dogmatibus aberraſſe. Diſpiciatur itaque penſiculatè, utri honorem Pontificium zelentur ardentius, & circumſpectius tueantur, an qui nævum alicujus obreptionis Superiori inter tantas occupationum diſtentiones adſpergi potuiſſe non eunt inficias; an qui evictim largiri coguntur, eumdem in palmaria fidei quæſtione, quæ totius humilitatis, gratitudinis, pietatis Chriſtianæ nucleum in ſe complectitur, turpiter cecidiſſe.

Quamquam & ſubreptio Alexandro facta, adhuc alio quodam ſubſidio ab omni plane nævo purgari valeat. F. Chriſtianus Lupus, ex Auguſtiniana familia Sacræ Theologiæ in Lovanienſi Academia Doctor, & ſcriptis multiplici eruditione refertis clarus, ex Urbe redux compluribus retulit, ſeſe ab Alexandro VII. rogatum fuiſſe, quid Lovanienſes Theologi ſentirent aut dicerent de Bulla ſua? Cum vero ille verecundus ſileret, inſtitiſſe Pontificem, ut ſententiam illorum libere & aperte panderet. Porro à Lupo tum fuiſſe reſponſum: Lovanienſes non mediocri admiratione percelli, quod Propoſitiones quinque, ex libro Janſenii excerptas, & in ſenſu ab eodem Janſenio intento damnaſſet, quas illi perlecto diligenter univerſo Opere in Janſenio non poterant reperire. Ad iſta velut excandeſcens Pontifex: Quid, inquiebat, Propoſitiones illas in Janſenii libro reperiri negant, quas ego de verbo ad verbum his meis oculis in Janſenio legerim? His auditis Pater Lupus (ut erat vir ad metum quam audaciam pronior) velut fulmine percuſſus conticuit, non plura auſus pro glorioſi Præſulis innocentia remutire. Hiſtoriam hanc ego ipſe non quidem a Patre Lupo, ſed à tribus viris Eccleſiaſticis, fide dignis,

gnis, qui eam ex ore ejus acceperant, his auribus hauſi; idque & occaſione diverſa, & temporibus multa annorum intercapedine ſeparatis, & locis longo intervallo diſſitis: ut nulla prorſus veri ſpecie ſuſpicio incidere poſſit, narrantes illos ad hanc fraudem ventitandam colluſione mutua conſpiraviſſe. Nullus quoque dubito, quin relationis iſtius auritos teſtes magno adhuc numerô reperire liceat: erat enim Chriſtianus ille vir ingenio plane mitis ac ſimplex, & alloquio ejus potientibus germanè candidus.

Conſonant illa etiam cum iis quæ ſibi ab Alexandro (tum adhuc Cardinali Chiſio) memorata narrat Santamoræus: nimirum quod ipſe Chiſius * *librum Janſenii totum legiſſet; nihilque in illo reperiretur quod difficultatem haberet, dempta media forte pagina, quæ tolli aut elucidari poſſet.* Verba hæc nullum prorſus ſenſum bonum ac verum continere poſſunt, ſi Chiſius legerit librum genuinum Janſenii, qui Lovanii apud Jacobum Segerum anno 1640. in lucem datus eſt. Nulla quippe reperitur in illo media pagina ubi de quinque famoſis Propoſitionibus mentionem facit; ſed qui ab ipſis met adverſariis aſſignantur ut Propoſitionibus affines loci, e librorum valde ab invicem disjunctorum capitibus proferuntur. Adhæc ſi difficultatem aliquam alicubi patitur Janſenianum opus, neceſſe eſt ut eandem patiatur innumeris planè locis: quia quæ quæſtionibus agitatis obnoxia eſſe poſſunt, innumeris locis refricat, pertractat, inculcat. Quare ſi nullam prorſus difficultatem in Janſenii volumine Alexander offendit, præterquam in media quadam pagina; non obſcura conſecutione fluit, mediam illam qualemcumque paginam fraudulenter egregio innocentiſſimi Præſulis operi fuiſſe aſſutam.

* S. *Amour.* part. 4. c. 7.

Faciliorem fidem merebitur hæc hiſtoria, ſi in mentem reducamus, quod in Congregationibus illis ſolennibus *de auxiliis* dolo ſimili certatum olim fuerit à Patre Valentia Jeſuita contra Patrem Lemos Dominicanum. Cum enim Valentia locum quemdam Auguſtini lib. 19. de Civitate Dei cap. 13. falſificaſſet, legens *& ipſam immortalitatis pacem* pro *ipſam ſcilicet immortalitatis pacem* (quod illic ſenſum plane diverſum reddit) Pontificis indignantis voce proſtratus, ſeu vertigine ſeu defectione animi in terram corruit; indeque ſublatus, & mox Neapolim abductus, vitam cum morte commutavit: rationem terrificam diſputationum ſuarum apud Judicem, qui ejuſmodi fraudibus non decipitur, redditurus.

Præterea nemini jam ignota eſſe poteſt Jeſuitarum ſententia, quà mortali

mortali flagitio eximunt* *detrahentis auctoritatem magnam, ſibi no-* *Vide Ep.
xiam, (in quorum numero Janſenium referendum nemo ambigit) 15. Montal-
falſo crimine elidere. Hinc Santamoræo olim exertè confitebatur ma- tii.
gnus ille Jeſuitarum advocatus Albiſius, †*Si Patres illos non fuiſſet* †S. Amour
adortus Janſenius, tantum abſuturum fuiſſe ut liber ejus proſcriptione 3. part. c. 7
mulctaretur, ut fortaſſe de illa ne quidem cogitatio incidiſſet; at nihil
mirandum, quod taliter ab illo excepti, de vindicta rependenda cogi-
taverint. Anceps animi ſum, an & ego hic intexere velim hiſto-
riunculam quamdam per me ipſum hiſce auribus auditam à viro ho-
norato, Antiſtite cujusdam cœnobii in Metropoli Flandriæ, cui
ipſa contigit. Hunc virum conveniens quidam e Jeſuitarum Sa-
trapis(cui *Patri l'Hermite* nomen erat) inter ſermones varios hunc
quoque effudit: *ſi Jeſuitarum auctores claſſicos non invaſiſſet Janſe-*
nius, numquam Societatem ſua ſtudia ac vires collaturam fuiſſe, ut li-
ber ejus condemnaretur. Cui & vir ille ſolerter ac facete reſpondit:
igitur, ô Patres, vos totam ob ſola privata Societatis veſtra emolumen-
ta perturbatis Eccleſiam. Credat hæc, qui me catalogo ſinceritatem
profitentium inſerit; & ſecus cogitans, ſi velit, repudiet: quia e-
jusmodi relationes pro auctario aut mantiſſa potius damus, quam pro
magno contentionis noſtræ fulcimento ſtatuimus. Hinc tamen corro-
borari poteſt earum firmitas, quod ingens illud Duacenſis Acade-
miæ decus, Guilielmum Eſtium, nunquam in jus aut crimen po-
ſtulaverint Moliniani: tametſi Jeſuiticæ Theologiæ in hac materia
multo durius adverſetur Eſtius, quam Janſenius; imo auctor ille vel-
ut rigidioris, & *enormiter ab Auguſtino diſcedentis* ſententiæ confe-
ctator, a * Janſenio vapulet. Nimirum Eſtius tacitis nominibus Mo- *lib. 10. de
linæ, Vaſquii, Suarii, Leſſii, Jeſuitica protrivit errata; Janſenius re- grat. Chr.
cta caſſide magnis illis Societatibus columinibus bellum intulit. c. 5.
Hinc primus inter catholicos ſecura pace vivus ac defunctus quievit;
ſecundus, quamvis in ſententiis illis diſputatis mitiorem Auguſtini
callem tenuerit, in Lutheri, Calvini, & ſociorum caſtra vel ingra-
tiis trudendus fuit. Sic & olim, cum Dominicani opiniones Moli-
niſticas Pelagiana nuncupatione afficerent, congrua ac probata apud
Theologiam Jeſuiticam retaliatione Calvinianæ hereſeos inſimulati
ſunt. Habemus id manifeſte confitentem Joannem Martinum de
Ripalda tom. 2. diſp. 113. ſect. 9. n. 53. *Bannes*, inquit, *& plerique*
ejus diſcipuli, in publicis diſputationibus, privatiſque ſermonibus, &
ſcriptis cœperunt notare ſententiam Molinæ Pelagianam; contra noſtri,

ut

ut notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ vitarent, objiciebant oppoſitæ notam Calviniſmi. Nunc verò, quia Thomiſtæ de Jeſuitis Pelagianiſmi accuſandis ſilent, imo quamdam ad illos acceſſionem fecere externa locutionis ſpecie, & ipſi jam quoque exuvias Calviniſmi ſui depoſuerunt; tametſi nihil omnino de doctrina prædeterminationis ſuæ phyſicæ, ſaltem ſi ſecundum comitia Provincialia Belgica anno 1668. 25 Aprilis habita judicium feramus, remiſerint. Auguſtino-Janſeniani verò, quia Dominicanis in accuſatione Pelagianiſmi Jeſuitici ſeſe ſubſtituerunt, licet gratiam multo ſuaviorem Dominicana prædicent viciſſim regeſtâ Calviniſmi contumeliâ compenſantur. Sic videlicet antiquitus etiam Pelagiani ipſi Auguſtinum ac Diſcipulos ejus Manichæiſmi, & Semipelagiani eoſdem Prædeſtianiſmi onerabant convitiis. Et hoc quidem politicis iſtis artificiis apud imperitos efficiunt obtinentque verſuti homines, ut (quod in ſimili cauſa ſanctus Auguſtinus obſervat) * *infamatis aliis a ſe avertant ſuſpicionem; & dum homines, credentes* improperiis Jeſuiticis, *falſa de innocentibus loquuntur; ipſi*, qui verè nocentes ſunt, *tanquam in nebula mendaciſſimi erroris latitent.* Sed Superioribus incumbit has technas ſagacitatis ſuæ vigilantia penetrare; & craſſis illis fallaciis, quæ tantam jam diu nimis gregi Chriſtiano perniciem inferunt, exſibilatis; veram Paulinæ & Auguſtinianæ gratiæ doctrinam authoritatis ſuæ pondere ſtabilire. Nec enim in Calviniſmo tantum calumnioſè veris fidelibus improperato ſtat enormitas calamitatis, quæ occaſione Reverendiſſimi D. Janſenii, innocuè in crimen vocati, Eccleſiam luguberrima aduſtione depaſcit. Numeret ſtellas cæli qui poteſt, & una numerabit dicteria, obtrectationes, criminationes, contumelias omnis generis, oppreſſiones bonorum, addictiones innocentium, & cujuſcumque iniquitatis facinora, quæ ex hoc uno fonte, velut puteo abyſſi, in viventium terram erumpunt, & cuncta longè lateque crudeliſſime depopulantur. Et dubitamus adhuc quin hæc omnia Præpoſitos, quos Deus ſpeculatores dedit domui Iſrael, velut arena maris oneratura ſint in illo die in quo illuminanda ſunt abſcondita tenebrarum & manifeſtanda conſilia cordium; in quo ſermo, quem veritas elocuta eſt, regulam judicio dabit; in quo ſcrutatio Jeruſalem facienda eſt in lucernis, & juſtitiæ hominum denuo judicandæ ſunt juſtitia Dei? Qui ſanitati corporali, famæ, aut fortunis infeſta hominibus indicat, magnam protinus vel a barbaris init gratiam; & repulſa dignus habebitur, qui non fugacis hujus vitæ incerta pericula, ſed æternæ certiſſima diſpendia ſuggerit?

* Aug. Epiſt. 162. jam. 43.

Novimus ſcriptum eſſe: * *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in Monte Sancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam; qui loquitur veritatem in corde ſuo*, QUI NON EGIT DOLUM IN LINGUA SUA; NEC FECIT PROXIMO SUO MALUM, ET OPPROBRIUM NON ACCEPIT ADVERSUS PROXIMOS SUOS; QUI JURAT PROXIMO SUO, ET NON DECIPIT. Et iterum: † *Quis aſcendet in Montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde*; QUI NON ACCEPIT IN VANO ANIMAM SUAM, NEC JURAVIT IN DOLO PROXIMO SUO. Ac rurſum: ‡ *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Si necdum apud quoſdam ſatis evidenter evicimus, jurantes ac ſubſcribentes pæne omnes doloſe agere in lingua ſua, ac facere proximo ſuo malum; & juramentum exigentes accipere opprobrium adverſus proximum ſuum; ſaltem validis argumentis rem eo duximus; ut probabilis metus ſubſit ne ita agentes perjurio aut aliis variis criminibus ſeſe perimant. Porro magnus ille laxitatum Patronus Leonardus Leſſius adhuc tamen tenet ac ſtatuit: * *Debet eſſe moraliter certum id ad quod Deum teſtem vocamus: alioquin exponimus nos periculo faciendi eum teſtem falſi.* Unde breviter ac ſolide Bellarminus: † *Juramento confirmare non licet, niſi ſententias apertiſſimas, & certiſſimas; & quæ non poſſunt in alium ſenſum torqueri: ne locus detur perjurio.*

* *Pſal.* 14.

† *Pſal.* 23.

‡ *Pſal.* 33.

* *De jure & juſt. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 17.

† *lib.* 2. *de Euch. c.* 5.

Jubet Apoſtolus Chriſtianis, ut vel ab omni mali ſpecie abſtineant ſe. Etiamne quis poſt documenta tam varia & tam prægnantia, quæ protulimus, usque adeo perfricabit frontem, ut omnem mali ſpeciem ab hoc facinore abeſſe neget? Quo is equidem titulo pro abſoni ingenii pertinacia decorandus eſſet, haud facile dixero. Ego certe firmiſſime apud me decerno, eam deberi à nobis divino nomini obſervantiam, ut nec honoris aut bonorum periculis, nec exiliorum, carcerum, aut mortis ipſius interminatione nos pertrahi ſinamus ad facinus, perjurii veriſimilitudine vel ſola horridum.

At profecto non dubie ſed evidenter evicimus, certiſſimo perjurio involvi illos, qui de Janſenii noxia non ritè perſuaſi (quales fermè omnes ſunt) Formularium juramento firmant: quia videlicet verba Formularii juxta receptum apud omnes homines idioma Janſenium nocentem dicunt; quia Conſtitutioni Alexandri VII. Janſenium reum definienti nihil derogatum eſt nuperrimis Brevibus, ut eorumdem conſtructio abunde pandit; quia inſtrumentis publicis non de-

 rogatur

rogatur quibuſdam informationibus clandeſtinis, &, quod pejus eſt, ſola partium relatione in vulgus ſparſis.

Edixit quidem Innocentius XII. neminem invidioſo Janſeniſmi convitio turpari poſſe, niſi de quo legitima ſuſpicione conſtet aliquam e quinque Propoſitionibus tenuiſſe; at ſimul Alexandri Conſtitutionem in omnibus & ſingulis ſuis partibus voluit eſſe ratam. Hæc duo, toto cælo diverſa, ſolerter etiam diſcriminanda ſunt. Neque enim, ut recte Pontifex advertit, Janſeniſmi (quod ſectæ cujusdam hæreticæ ſonum edit) inſimulari meretur, qui de *facto* aliquo non revelato dumtaxat ambigit. Sed etiam de *facto* aliquo tali ambigens, aut de falſitate ejus convictus, citra perjurium jurare nequit, quod factum illud veritate conſtet. Porro *facti* Janſeniani aſſeverationem diſerte complectitur Alexandrina Bulla ac Formula; & tum hanc tum illam Innocentius XII. ſuis Brevibus fortiſſimè & accuratiſſimè renovat, reſtaurat, confirmat. Bina itaque, eaque multum diſcrepantia, hiſce Brevibus injunguntur, quorum alterum materiam juris, *quis dicendus hæreticus*; alterum facti quæſtionem, *an hæreticus Janſenius* continet. Nec te moveat (id enim quoque objici intellexi) Pontificem non aliud præciſè circa ipſas quinque Propoſitiones mandare, quam ut damnentur in ſenſu obvio. Nam quid (obſecro) prohibet, ut ſenſus obvius in mente Pontificis idem plane qui Janſenii ſenſus ſit? Ac niſi revera idem eſſet, cur Alexandrinæ Conſtitutioni, quæ individuum ſenſum illum manifeſte damnat, redintegrandæ tam ſtudioſe incumberet, eamque & epitomen ejus Formularium inalterata & irreformata ſtare urgentiſſimis imperiis inculcaret? Mirum ſatis, hæc non penitius percipi à viris ingenio acutis, & in continuis argutiis & diſſectionibus ſcholarum verſari ſolitis.

Cuperem & illud ipſorum animis validius imbibi, quod (niſi remediis ſalutaribus obvietur) & Brevia illa, & Conſtitutio Alexandrina, & Formularium Bullariis inſerta ad poſteros transmittenda ſint cum terminis ſuis clariſſimis, diſtinctiſſimis, ac prægnantiſſimis; effugia vero moderna de male aut non liquide præſumpta mente Pontificis, de ſecretis Hennebellii relationibus, de connotatis atque incidentibus, abitura ſint a memoria hominum; damnataque Auguſtini, ſub ſenſu Janſenii invincibiliter deliteſcente doctrina, ſe factam iſtis diverticulis miratura Eccleſia Pelagianam.

Et quibus talia (amabo) accepta debebit poſteritas, niſi qui fraudulentis illis mentis reſtrictionibus *ſenſum a Janſenio intentum*, hoc

eſt

eſt Auguſtini & Eccleſiæ ſenſum, in teſtem vocata terribili illa omniſcientis ac potentis Dei Majeſtate *rejicere* non reformidant? Profecto ſi hac methodo in priſcis fidei controverſiis proceſſiſſent Majores noſtri, aut talibus abſtruſis compoſitionibus dediſſent operam; quid, quæſo, ad nos illibati de diſputatis olim quæſtionibus perveniſſet? Cur non liceret ambigere, an qui antiquis fidei ſymbolis ſubſcripſere, fortaſſe non ſimilibus cavillationibus, aut internis animi reſervationibus, præſentes collegas vel judices fefelliſſent, ac litteralem ſymbolorum fidei eluſiſſent intelligentiam? Omnia certè nutant aut ſubſidunt, ſi talibus locum aperiamus præſtigiis. Enixè itaque efflagito, ut viri veſtri ornatiſſimi aures faciles adhibeant graviſſimis hiſce monitis; nec tam dicentis tenuitatem, quam dictorum robur, ac rei momentum coram Deo tranquillè, ſedatè, maturè, ſilere juſſis conſiderationibus humanis, ponderent & expendant. Nihil (ut ſcis) mihi, extra vexationis iſtius aleam conſtituto, aut ſeritur aut metitur è Formulario jurato injuratove; ſed horrificam Cleri Belgici, & conſequenter populi noſtri Chriſtiani ſtragem mecum agitans, non me tempero quin & horrida & manifeſta iſta fratribus, & amicis, & dominis meis indicem præcipitia. Crede, Vir colendiſſime, me non ſine quadam animi pugna in hujuſce velitationis ſtadium deſcendiſſe. Cuperem & ego illis licere, imo magno emere ut liceret, quod libêre perplexis conſpicor. Sed nulla hactenus mihi rima lucis per quemquam patuit, ut jurationis illius indignitatem ab aſſignatis ſupra criminibus liberem.

Quapropter ne res tam contagioſa ulterius ſerpat, tentanda, movenda, advocanda ſunt omnia; & ſi viis ordinariis nulla luctuoſiſſimæ vexationi diſturbandæ ſpes affulgeat, de ſupremis tandem neceſſario cogitandum erit præſidiis. Nam & huic ætati convenit, quod olim ingeminabat Bernardus: * *Quam ſit hoc tempore neceſſarius conventus Epiſcoporum, nullus ignorat, niſi qui durus corde Matris Eccleſiæ anguſtias non attendit.* Si ergo nullum aliud facilius remedium ad hæc diſſidia componenda adſpiret, eo denique veniendum erit; ac tam diu pultandum, tundendum, & obtundendum, donec fiat accuſantibus accuſatoque juſtitia. Exoriuntur ſubinde ſeculorum & Eccleſiæ decurſu pretioſæ quædam occaſiones, ubi per calcatos omnes timores humanos veritatem fortiſſimè tueri oportet, & meminiſſe terribilis ſententiæ illius in Apocalypſi editæ: † *Timidis autem, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne &*

* *Epiſt.* 255.

† *Apoc.* 21.

 ſulphu-

ſulphure, quod eſt mors ſecunda. Porro talem eſſe, quæ præ manibus eſt, facile intelliget quisquis in quieta ſolitudine, ſepoſitis rationibus temporariis, univerſi negotii hujus fundum, ſeriem, molitiones, ſcopum, & inevitabiliter conſecuturas peſtes ſedulo meditabitur. Cum hæc itaque ſæpius volutarim animo, arbitratus ſum officii mei eſſe, ut hæc rurſus argumenta ad divinæ gratiæ defenſionem, Auguſtiniani nominis ornamentum, præſtantiſſimi atque innocentiſſimi Scriptoris protectionem, Epiſcoporum cautelam, Apoſtolicæ Sedis gloriam, & Eccleſiæ pacem in chartam conjicerem: ne juſtis improperiis dicerer veritatem atque innocentiam ſilentio damnabili deſeruiſſe; ſiccisque genis de conſcientiæ ſecuræ portu pereuntium ſpectaſſe naufragia. Tanto urgentior me in hanc arenam protruſit neceſſitas, quod (ut adhuc alias retuli, ſed non auditus) huic controverſiæ illigata eſſe videam prima Chriſtianæ vitæ principia, humilitatis baſim, ſpei fulcrum, charitatis incentivum, reſignationis ſtabilimentum, flabellum gratitudinis, denique veræ pietatis medullam, Religionis nucleum, ſalutem hominum, & gloriam Dei.

F I N I S.

P. S. Audio & video, ſcriptiunculas, quæ è muſæo noſtro prodeunt, a quibusdam in eam partem trahi, unde Viris *in illuſtri Eccleſia* vel Præfectis, vel comminiſtris invidia conflari poſſet: velut ſi prælia mea calamaria non tam marte, ut ajunt, proprio quam alienis clandeſtinis copiis ſuffartus conficerem. Quapropter proteſtari cogor coram omnibus ad quos pertinet, me nullius hominis conſilio, ac multo minus adhortatione, impulſione, ſuppetiis uti in iis, quæ tum in hac tum in quacumque alia materia ſcriptito, concinnandis; at juſtitiæ & charitatis amore ductum diſſertationes meas orbi litterato, ac præſertim Belgio Hiſpanienſi publicas facere: paratiſſimum doceri & corrigi, non quidem dicteriis, thraſoniſmis, aut ſcholaribus declamationibus, ſed invictis ſeu rationibus, ſeu auctoritatibus, hoc eſt, ſolidis argumentis.

LEGATORIA
C. DE NARDIS
VIA CRESCENZIO 65
ROMA
TIPOLITOGRAFIA CARTOTECNICA
Digitized by Google

BIBLIOTECA
NA
3